



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio LVII. Argumentum. Exponuntur sequentia carmina, quæ continent casus quatuordecim, in quibus non est Usura lucrum recipere à debitore pocuniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

tur manifestè injustum; cum ipse mutuans sit causa peccati fœneratoris, & per suam instantiam cooperetur usuræ, quæ absque dubio est intrinsecè mala; & per consequens nemo potest licitè esse ejus causa, vel cooperari ad illam.

Huic objecto difficili valde responderi potest
 16 ex doctrina Cardin. de Lugo. de Sacramentis in genere disput. 8. à num. 180. & seqq. quod Mutuatarius, qui ob necessitatem petit mutuum cum fœnore, non possit dici causa peccati, vel quod cooperetur illi, quia non concurrat determinatè ad actionem, quæ hic, & nunc fieri non possit absque culpa. Nam docent Theologi, non esse cooperatorem peccati illum, qui præstat concursus suum ad actionem indifferentem, quæ scilicet fieri potest & cum peccato, & sine peccato; nam si cum peccato fiat, culpa refertur malitiæ, & prævæ voluntati illius, à quo fieri poterat sine peccato, & qui tamen vult illam facere cum peccato. Hinc etiam est, quod ipse Deus Optimus Maximus concurrat ad omnes actiones humanas, etsi peccaminosas, & enormes: & nihilominus non est causa peccati, nec cooperatur peccato; quia concursus ille, prout præstat, & offertur à Deo, est omnino indifferens; nec infertur omnino peccatum hominis ex hac voluntate, qua Deus concurrat; posset enim, stante illa voluntate Dei, non sequi peccatum, sed alia actio bona hominis. Ita in nostro Quæsito: Mutuatarius petens mutuum cum usuris non pervertit ordinem charitatis, nec magis diligit suum bonum temporale, quam bonum spirituale fœneratoris, nec ejus salutem spirituales postponit suæ necessitati temporali, quia petendo pecuniam fœnorem ex se non causat fœnus, nec cooperatur determinatè ad usuram, neque ejus instantia seu petitio obligat fœneratorem ad committendum peccatum usuræ. Stat enim in libera voluntate fœneratoris dare mutuum sine usuris, si velit; quod si nolit gratis mutuare, & exigat usuram, totum pendet à sua malitia, cum qua mutuatarius solum permittit se habet; ut latius explicat Cardin. de Lugo dict. disput. 8. num. 182. & 183. ubi eadem ratione demonstrat, excusari à peccato conjugem reddentem debitum suo conjugi malè petenti, vel christianum in triremibus Turcicis remigantem, vel Sacerdotem peccatori occulto, sed ei noto, Sacramentum Eucharistiæ præbentem: quia hæc omnes actiones ex se non inferunt malitiam, nec ad hoc tendunt; sicut petitio mutuatarii non tendit ad committendum crimen, sed ad recipiendum mutuum, quo indiget, quamvis mutuator ob suam malam voluntatem velit peccare mutuando cum usuris; quod etiam declarando pluribus exemplis prosequitur Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 7. num. 18. & in terminis nostri Quæsiti lib. 3. in Decal. cap. 8. num. 27. & Basil. Pont. de Marrim. d. lib. 5. cap. 18. num. 46. 47. & 48. ubi subd. t. rem hanc in praxi plenam esse scrupulis, & difficultatibus; ideoque esto; quod liceat in necessitate petere mutuum cum usura ab eo, qui paratus est ex malitia fœnerare; licitum non erit petere ab illo, qui vel ex ignorantia, vel ex hac instantia incitaretur ad fœnerandum; quia esset saltem scandalum passivum, à quo tenemur abstinere. Idem Pontius dict. cap. 18. num. 17. & Sotus de Justit. lib. 6. quæst. 1. art. 5. ubi mutuatarios increpat, qui ut

alias mechanicas artes effugiant, vel lautiorē vitam agant, fœnebre mutuum petunt; in perniciem tūm spiritualis, tūm temporalis vitæ; quia ad inopiam facillè vergunt, & litibus se, suosque implicant. Quare securius semper erit, si animarum Pastores suaserint indigentibus pecunia, ut à mutuo fœneratitio abstineant, & potius suis laboribus, & honestis industriis propriæ indigentiae provideant.

DECISIO LVII.

ARGUMENTUM.

Exponuntur sequentia carmina, quæ continent casus quatuordecim, in quibus non est Usura lucrum recipere à debitore pecuniæ.

SUMMARIUM.

1. Usuram recipere non est peccatum in 14. casibus hic relatis.
2. Feudum an possit cedi à Vassallo cum Usura Domino?
3. Emphyteuta an possit dare fundum ad Usuram Domino suo?
4. Maritus licitè exigit Usuras, donec ei Dos solvatur.
5. Venditor rei fructifera, donec recipiat pretium, potest Usuras pro fructibus exigere.
6. Fidejussor quando possit à mutuatario exigere Usuras?
7. Pena nomine aliquando licitè Usura exigitur.
8. Hostibus, cum quibus est bellum, licet imponere Usuras.
9. Pecunia locari potest ad pompam.
10. Debitum antecedens si deducatur in pactum in mutuo non est Usura.
11. Damnum emergens, & lucrum cessans ob moram mutuatarii non est Usura.
12. Spontè datum à mutuatario non est Usura.
13. Intentio, & spes mutuantis lucrandi aliquid ex mutuo an sit Usura?
14. Vendere rem pro valore futuro in tali mense an sit licitum?
15. Vidua pro dote sibi restituenda interusura capit.
16. Sumptus in custodiendo pignore sunt retinendi ex ejus fructibus.

Deveniendi postea ad exceptionem Regulæ: mutuum esse debere gratuitum, Quæsitum fuit: An denrur casus, in quibus licitum sit recipere aliquid supra sortem absque peccato, & absque Usura?

Responsum fuit dari casus quatuordecim comprehensos in his carminibus.

- Qui Dominus [1] feudi est: sumptus qui [2] sustinet omnes
 Conjugii: pretio qui [3] sine vendit agrum,
 Quique [4] fidejussor solvit cum fœnore sortem,
 Alteriusque tulit nomine damna sibi.
 Qui penam [5] rectè stipulatur; & hostis [6]
 ab hoste,
 Ludere quem belli jura, vicesque sinunt.
 Quique dat [7] ad pompam signata numismata amico,
 Et qui non aliter [8] sperat habere suum.
 Cui mora [9] dat damnum; cui lucrum [10]
 debitor aufert.
 Et qui oblata [11] sibi munera spontè capit.
 Qui plaris vendit dubio [12] sub tempore merces:
 Orba [13] Viri mulier, sequæ suosque ut alar.
 Quia

Qui patitur varios sumptus [14] magnumque laborem.

Ut Domino servet pignora tuta suo.
His impune aliquid permittitur addere forti;
Reddere sed Reliquos sanore parta jube.

Quorum quidem casuum declarationem, summarie tamen, & quasi ex compendio placet hic adungere; ut ex eorum intellectu sciant Parochi, & animarum Pastores, alique Confessarii decernere in eorum conscientiarum tribunalibus, an sit Usura? & cognoscant quando Pœnitentes vel rei, vel innocui sint à sceleris culpa.

Primus itaque casus est, quando Vassallus mutuam pecuniam à Domino receperit, & feudum ei pignori dederit; nam Dominus non tenetur fructus sibi in sortem imputare. *cap. Conquestus. 8. & ibi Gloss. de Usuris.* Quod tamen intelligitur, si Dominus à servitiis sibi debitis ratione feudi absteat. *cap. 1. De feud. Covarr. Variar. resolut. lib. 1. cap. 1. num. 4. Vers. Hinc apparet. Sotus de Justit. & Jur. 6. quest. 1. art. 2. col. 6. Vers. Exurgit tamen duplex difficultas. Navarrus in Manual. cap. 17. num. 217. & Card. Mantica de Tacit. & Ambig. lib. 11. tit. 8. num. 30. & seqq. Qui num. 32. notat, hoc non procedere in fundo emphyteutico, si datus sit pignori domino directo, nam iste debet fructus in sortem computare, quicquid dixerit in contrarium Navarrus *dict. num. 217.* nisi forte non excederent summam canonis emphyteutici, & ab eo Dominus liberasset emphyteutam.*

Secundus casus est in Marito, qui non recepta dote uxorem alit, & onera sustinet Matrimonii; is enim usuras impune recipit pro dote, tum de Jure civili. l. 2. C. de Dot. promiss. l. In insulam. §. Usuras. ff. Solut. Matrim. tum de Jure Canonico. *cap. Salubriter. 16. de Usuris. Covarr. Var. lib. 3. cap. 1. num. 3. Leotard. de Usur. quest. 98. num. 5. & 6. ubi advertit, in dict. cap. Salubriter, verba illa Pro numerata dote torfisse ingenia Canonistarum, ita ut alii crediderint esse legendum, pro dote numeranda, alii pro dote promissa; alii intellexerint de dote iterum per socerum recepta: sed abstinendum est à commentis; quia verba prædicta plano stylo legenda, & intelligenda sunt scilicet pro Dote numerata, hoc est, loco Dotis numerata; nam ly Pro, significare solet Vice, vel loco. l. Ossa. §. Si locus ff. de Relig. l. In Venditionibus. §. Inde queritur. ff. de Contrahen. empt.*

Tertius casus est, si quis agrum, domum, vel aliam rem fructiferam vendat, & emptori tradat, non recepto pretio; nam venditor potest ratione fructuum aliquid ultra sortem recipere, quod tamen fructuum valorem non excedat. l. Julianus. §. ex vendito. ff. de act. empt. l. 5. C. eod. & l. 2. C. de Usur. quod latius docet Covarruvias *Var. lib. 3. cap. 4. num. 1. Cardin. Mantica de Tacit. lib. 4. tit. 24. num. 15. & amplexa est Rota Romana coram Ludovisio decis. 297. & decis. 347. num. 3.*

Quartus casus est, ubi fidejussor coactus fuerit pro Mutuatario solvere non sortem, sed etiam usuras: nam repetere potest ab eodem Mutuatario utrumque, ne ex officio suo damnum patiatur. *cap. 2. de Fidejussor. Menoch. de Arbitr. judic. cas. 119. in fin. & Reginald. lib. 25. num. 218. ubi extendit hunc casum etiam ad lucrum, quod petit fidejussor pro fidejussione sua: cum enim*

suscipiat obligationem civilem, ea est pretio æstimabilis; sed debet esse cum moderamine, ne injustitiam committat, accipiendo ultra id, quod sua verè interest; vel fingendo id, quod non est, ad palliandam usuram. *Leotardus de Usur. quest. 23. num. 34. & quest. 98. num. 12. & 13.*

Quintus casus est, quando apposita est pœna non in fraudem usurarum, sed ad coercendam pigritiam, malitiamve debitoris *Salas de Usur. dub. 21. num. 2. Cardin. de Lugo disput. 22. sect. 15. & disput. 25. sect. 6.* Porro hic casus non est in praxi recipiendus, ut dictum est supra *Decis. LIII.* nam pœna quantitati adjecta præsumitur usuraria, nisi probetur, tantum interesse. *Illustris. Sperell. decis. 131. num. 42.*

Sextus casus est, si contractus fiat cum hoste, id est cum illo, contra quem justè moventur arma. *cap. ultim. 14. quest. 4.* Sed in praxi talis casus non est adaptabilis, quia hostibus non dantur mutuo pecuniæ, ut bene ait Ugolin. *de Usur. cap. 10. §. 2.* Undè videtur dicendum, quod S. Ambrosius in *dict. cap. ult.* locutus sit per ironiam; quasi dixerit, si ab usuris abstinere nolitis, eas ab hostibus exigite; ut hac impossibilitate facti injustitiam in usurariis damnet; quod plenius prosequitur *Leotardus dict. quest. 98. à num. 16. usque ad 25.* Porro Cornelius à Lapide in *Deuteronom. cap. 23. Vers. 20.* ait S. Ambrosium *lib. de Tobia cap. 15.* per personas hostiles, à quibus Judæi poterant exigere Usuras, intellexisse Amalecitas, Amorrhæos, & Chanaanæos, quos etiam tanquam pessimos Idololatrias ex Dei jussu poterant occidere. Ex quo ipse Cornelius à Lapide auctoritate cujusdam Leguleji infert licitum esse Christianis contractus Usurarios inire cum Turcis, quia hi injustè occupant eorum Regna. Sed non credo esse bonam doctrinam Leguleji prædicti, quia Usura est intrinsecè mala.

Septimus casus est, si pecunia non detur mutuo, sed commodetur, tanquam corpus aliquod ad pompam. l. 3. §. 6. ff. Commod. Quia in hoc casu potest locari, & ex locatione lucrum exigi. *Carocius de Locat. part. 1. tit. de Rescin. locat. num. 2. Leotard. de Usur. quest. 34. num. 9.*

Octavus casus est, quando mutuans paciscitur ultra sortem sibi dari etiam id, quod antea ex alio contractu eidem debebatur. *Card. Tolet. lib. 5. cap. 34. num. 6. Ugolin. de Usur. cap. 11. §. 2.* dummodo tamen debitum illud fuerit verum, & liquidum; neque quid pluris mutuans consequatur, quam sibi mutuarius antea debebat; ut diximus supra ex doctrina nostri Cleri in *Decis. XXXVII. num. 14.*

Nonus casus est, quando ex mora mutuatarii in restituenda sorte damnum resultat mutuanti; &

Decimus casus est, si ob eandem moram cesset lucrum eidem; nam in utroque casu potest mutuans absque sceleris labe recipere ultra sortem id, quod sibi decrevit, vel ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. *Navar. in Man. dict. cap. 17. num. 212. Leotard. dict. quest. 98. num. 43. & 44.* At sunt omnino servandæ conditiones, quæ à studiosis nostris notatæ sunt, tum in *Decis. XXXIII.* tum etiam in *Decis. LII.* in quibus examinatus fuit uterque casus.

Undecimus casus est, si ex liberalitate mutuarii aliquid ultra sortem spontè mutuanti done-

donetur; quia si licitum est unicuique benefacere, multo magis ei, à quo beneficium prius accepimus; aliàs qui nobis benefecit, esset deterioris conditionis, si prohiberetur recipere quod ex mera liberalitate mutuatarii procedit. Ugolin. *de Usur. cap. 8. §. 2. Petr. Navar. lib. 3. cap. 2. num. 315. Reginald. d. lib. 25. num. 233. Rebell. lib. 8. quæst. 3. & Leotard. dict. quæst. 98. num. 32, 33. & 34. ubi observat, abesse debere quodcunque pactum, si vè expressum, si vè tacitum, secus autem est dicendum, de spe, & intentione mutuantis, qui licitè recipere potest quod sibi liberalitas debitoris porrigit, etsi ea spe, & expectatione mutuaverit, & sine illa non fuisset mutuaturus; dummodò in nihilo obliget mutuatarium, ut concedunt plurimi DD. apud Salas *de Usur. dub. 5. num. 5. & Layman. tract. 4. cap. 16. num. 4. qui nituntur iustificare talem intentionem, ac spem, ne sit usura mentalis; eò quia nihil intendit, aut sperat contra iustitiam, sed ex sola gratitudine, & liberalitate; quod tamen in praxi est periculosum, attento text. in cap. Consuluit. de Usur. ut dicit Sylvester. Verb. *Usura in princip. & quæst. 1.***

Duodecimus est Casus, quando quis hic, & nunc rem suam non erat venditurus, sed in alio tempore, quo probabile creditur, pretium auctum iri: dicunt enim doctores in hoc casu ob dilatam pretii solutionem, posse venditorem aliquid supra sortem exigere. Reginald. *lib. 25. num. 227. Petr. Navar. lib. 3. cap. 2. num. 129. Jacob Graff. p. 2. lib. 2. cap. 115. num. 2. ubi id concedunt, si incertum sit pretii futurum augmentum; ideòque eatenus iste casus licitus est habendus, quatenus qui rem ad credentiam (ut vulgò dicitur) vendit, & paciscitur de pretio, quod valebit E. g. mense Majo, dubium est an supremum, vel mediocre, vel infimum eo mense pretium fuerit? tunc enim cum incertitudo prodesse possit tam venditori, quam emptori; potest, si pretium augeatur, venditor habere plus aliquid supra sortem; ut pluribus citatis DD. probat Leotard. *de Usur. d. quæst. 98. num. 41.**

Decimus Tertius Casus est in muliere vidua, cui donec restituatur dos, sunt præstanda alimenta ab hæredibus mariti, & interusura solvenda; quod licitum esse affirmarunt Navar. in *Comment. de Usur. num. 67. & 68. Salas plurimos DD. cumulans, dub. 30. num. 9. Thesaur. decis. 44. num. 4. Gratian. dec. 126. num. 7. & 8. Leotard. quæst. 79. num. 44. & 48. & quæst. 98. num. 42. ubi contrariis argumentis respondet, & ulterius probat, id etiam habere locum, vivente marito, sed ad inopiam vergente.*

Decimus Quartus, & Ultimus Casus est, quando mutuanti data fuit pro pignore res fructuosa, in cuius gubernio, & custodia ipse impensas fecit, labores, ac sumptus; nam retinere sibi potest tot fructus ex eodem pignore, quot respondeant merito laboris, & compensent sumptus & expensas necessarias. Salas *de Usur. dub. 28. num. 3. Reginald. lib. 25. num. 241. Card. Mantica de Tacit. lib. 11. tit. 8. num. 27. & Leotard. dict. quæst. 98. num. 54. ubi Iurisperitos allegat loquentes de fructibus Civitatum, nempe gabellis, & datiiis, quando loco pignoris retinentur per Principes, donec sibi solvantur propria credita.*

DECISIO LVIII.

ARGUMENTUM.

An sit licitus, vel illicitus contractus dictus dare à godere, ubi exbursatur pecunia. Modi, ac conditiones dandi rem fructiferam à godere pro pecunia absque labe Usuraria.

SUMMARIUM.

1. Contractus dictus Dare à godere an sit licitus?
2. Fructifera res possunt dari à godere, si fructus sint aequales.
3. Pacta inaequalia in contractibus non sunt licita.
4. Fructus Pignoris sunt in sortem computandi.
5. Permutare rem fructiferam cum pecunia est Usura.
6. Pecuniam dare pro re fructifera titulo venditionis, & cum pacto recuperationis an sit licitus?
7. Livellus francabilis cum pecunia super domo an sit licitus?
8. Res fructifera dari potest à godere pro pecunia titulo lucris cessantis.

POnitens consultat Confessarium, an sit licitus contractus vulgariter dictus Dare à godere? Et se declarat, dicens: An possit recipere mutuo ducatos mille à Petro, eique relinquere domum propriam ad habitandum gratis, donec dictam pecuniam restituat? Quæritur, quid respondere debeat Confessarius?

Ad hunc casum communiter responsum fuit; contractum, qui dicitur Dare à godere, si fiat in rebus utrinque frugiferis, & servetur æqualitas inter contrahentes, licitum esse; at, si ab uno contrahente detur res fructifera, ab alio pecunia, ut supponitur in Casu, esse fœneratitium; & usurarium ex pluribus rationibus.

Primo. Quia ibi est usura, ubi intervenit mutuum cum lucro. l. 1. ff. *de Usur. cap. 1. extr. eod.* Sed Petrus dat mutuo ducatos mille poenitenti cum lucro habitationis domus illius. Ergo committit usuram.

Secundo: Si quis tradendo alteri mutuum pecuniam pacta inæqualia apponat, committit usuram, eo quia injustè paciscitur, & objectum usuræ est iniustitia. Cardin. *de Lugo disp. 25. num. 55. Sed in contractu, de quo in casu, pactum est inæquale, quia restitutio pecuniz difficilior est petenti, quam restitutio domus per Petrum facienda. Azor. part. 3. lib. 9. cap. 20. Vers. Postremò dubitari nequit. Ergo.*

Tertio: Ubicumque datur pignus pro pecunia mutuo accepta, fructus pignoris sunt in sortem computandi, aliàs committitur fœnus. l. Titia 48. ff. *de Solutionib.* Leotard. *de Usur. quæst. 12. num. 10. Sed hic fructus domus à Petro non computantur in sortem. Ergo fœneratitius est contractus.*

Quarto: Id etiam videtur decisum in cap. 5. *Ad nostram. §. De Emption. & Vendit. & in cap. Illos Vos. 4. De Pignorib.* in quibus iuribus cum ab una parte data fuisset pecunia, & ab altera designatæ res fructifera, summus Pontifex declaravit contractus usurarios, & fructus in sortem mandavit computari. Igitur contractus, de quo in casu, illicitus est censendus; eumque fieri non posse in terminis propositis Confessarius debet respondere, prout respondent. Azor. *d. part. 3. lib. 9. cap. 20. Bonacini, tom. 2. de Contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 7. §. 1. num. 7. Navar. in Comment. de Usur. num. 97. Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 6. num. 16. Cardin. de*